PAVLI PAPAE V·

I N D V L T V M,

In quo

Ius nominationis ad Beneficia Leodienſia Vniuerſitati Louanienſi aliàs conceſſum abrogatur,

Et

in Ius Collationis varijs modis reſtrictum commutatur: in gratiam Curialium Romanæ Curiæ, & Prouiſorum Apoſtolicorum editum.

R O M Æ,
Ex Typographia Reuerendæ Cameræ Apoſtolicæ.
Anno M. DC. XLI.

Digitized by Google

Digitized by Google

PAVLVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

REGIMINI vniuerſalis Eccleſiæ, meritis licet imparibus, diuina diſponente clementia, Præſidentes, iniunctum Nobis Apoſtolatus officium debitè, vt tenemur, exequi, coadiuuante Domino, cupientes, ad concordiam (præcipuè inter perſonas Eccleſiaſticas) ponendam, quietemque nutriendam, eò propenſius Apoſtolicæ ſolicitudinis ſtudium adhibemus, quò diſſenſionem talium diſpendioſam, & à ſcandalis non alienam fore intelleximus; necnon Indulta pariter & Priuilegia per Prædeceſſores noſtros Vniuerſitatibus præſertim ſtudiorum generalium conceſſa libenter confirmamus, ac etiam moderamur, & reſpectiuè ampliamus, prout præclara litterarum ſtudia, quibus aſſiduè in Vniuerſitatibus præfatis Reſidentes incumbunt, ac præcipuè Magiſtrorum infraſcriptæ Vniuerſitatis Louanienſis, necnon Sedis Apoſtolicæ Officialium, aliorumque prouiſorum Apoſtolicorum, maximè Romanam Curiam ſequentium vigiliæ & labores expoſcunt, votaque Principum, aliorumque egregiorum virorum, ſuppliciter nobis porrecta exquirunt.

Sanè dilectus Filius nobilis Vir ALBERTVS Archidux Auſtriæ, Dux Brabantiæ, & Comes Flandriæ, necnon dilecti Filij Status eiuſdem Brabantiæ Ducatus, ac Vniuerſitas Studii generalis Oppidi Louanienſis, olim Leodienſis, nunc verò Mechlinienſis Diœceſis, necnon Facultas Artium prædictæ Vniuerſitatis humiliter nobis exponi fecerunt, Quòd alias felicis recordationis SIXTVS Papa IV. prædeceſſor noſter claræ memoriæ, MAXIMILIANI Romanorum Imperatoris, tunc Auſtriæ Ducis, ac tunc exiſtentium Doctorum & Magiſtrorum, Scholariumque dictæ Vniuerſitatis ſupplicationibus inclinatus, Rectori eiuſdem Vniuerſitatis pro tempore exiſtenti facultatem de quinque Magiſtrorum in Congregatione ipſius Vniuerſitatis deputandorum, conſilio & aſſenſu nominandi ſingulis Prælatis, Capitulis, Collegijs, Conuentibus, & perſonis Eccleſiaſticis vtriuſque ſexus, ſæcularibus, & regularibus, etiamſi Abbatiali, Abbatiſſali, Epiſcopali, Archiepiſcopali, aut Cardinalatus fungeretur dignitate & honore, ad quos, quas, vel quæ Canonicatuum & Præbendarum, ac Adminiſtrationum, & Officiorum, cæterorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumlibet, cum cura, vel ſine cura, in terris temporalis

Indultum Sixti IV.

Dominij dicti MAXIMILIANI Imperatoris, & recolendæ memoriæ PHILIPPI ipſius MAXIMILIANI Imperatoris Primogeniti, conſiſtentium, collatio, prouiſio, præſentatio, electio, ſeu quæuis alia diſpoſitio, communiter, vel diuiſim pertineret, & eorum cuilibet, etiamſi aliqui ipſorum extra terras eaſdem ſedem & reſidentiam haberent; dummodo tamen pluſquam de ſex beneficijs ſeu Officijs huiuſmodi diſponere vel prouidere, aut ad illa præſentare, eligere, vel nominare, ſeu aliàs illa quouis locorum fundata conferre haberent: ſi Prælati videlicet, vel Prælatæ, aut aliæ ſingulares perſonæ, vita & prælatura, ac adminiſtratione eorum durante, ſemel dumtaxat; ſi verò Capitula, Collegia, vel Conuentus forent, ſingulis viginti annis vnum Clericum ex Studentibus & Graduatis dictæ Vniuerſitatis, ac in illa reſidentibus, qui vltra quadraginta florenos auri de Camera annuatim non haberet, vel qui ob paupertatem gradum aſſequi non poſſet, per certas ſuas litteras conceſſit, & perpetuò indulſit; ac voluit, quod Prælati, Capitula, Conuentus, Collegia, & perſonæ huiuſmodi, ac ſucceſſores eorum, quibus prædictæ nominationes factæ forent, eiſdem Clericis, ſic nominatis, de vno beneficio Eccleſiaſtico, cum cura, vel ſine cura, Clerico ſæculari in titulum conferri, & per talem regi & gubernari ſolito, diſpoſitioni Apoſtolicæ generaliter non reſeruato, aut ex generali reſeruatione affecto, etiamſi Canonicatus & Præbenda, Adminiſtratio vel Officium in Collegiata, aut Scholaſtria, Matricularia, vel Cuſtodia, in Parochiali Eccleſia ſeu Capella eſſet, & ad Adminiſtrationem vel Officium huiuſmodi conſueuiſſet quis per electionem aſſumi, eique cura immineret animarum, cuius fructus, redditus, & prouentus triginta florenorum Rhenenſium auri, ſecundum communem æſtimationem valorem annuum non excederent; quòd poſt nominationem huiuſmodi ipſis Prælatis, Capitulis, Collegijs, Conuentibus, & perſonis de ſe factam & præſentatam, quouis menſe Apoſtolico, vel ordinario, perpetuis futuris temporibus vacare contingeret, ipſeque ſic nominatus per ſe, vel Procuratorem ſuum ad id ab eo ſpecialiter conſtitutum, infra vnius menſis ſpatium duceret acceptandum, poſſent, tenerenturque & deberent omninò prouidere.

Indultum Leonis X. Et deinde piæ memoriæ LEO Papa X. etiam prædeceſſor noſter, eiuſdem MAXIMILIANI Imperatoris, & ſimilis memoriæ CAROLI V. eorumdem Romanorum Imperatoris, tunc Archiducis, & MARGARETAE Archiduciſſæ Auſtriæ, necnon etiam tunc exiſtentium Decani, & Facultatis Artium eiuſdem Vniuerſitatis, ſupplicationibus inclinatus, per alias ſuas litteras, quòd Decanus vel Vicedecanus pro tempore dictæ Facultatis, de aſſenſu & conſilio Receptoris & Procuratorum etiam pro tempore quatuor Nationum eiuſdem Facultatis Artium, per ſe, vel ad id ab eis, ob ſuorum abſentiam, vel aliàs, ne nominationes differrentur, ſubſtituendos

Digitized by Google

præſtando, ſeu maioris partis eorumdem, ſingulis decem annis poſſet quibuſcunque Collegijs, Capitulis, & Conuentibus ſemel; Prælatis verò, Collatoribus, Collatricibus & alijs ſingularibus Perſonis habentibus diſpoſitionem etiam qualemcunque beneficiorum, vel Officiorum Eccleſiaſticorum, in dictis terris temporalis Dominij MAXIMILIANI & CAROLI Imperatorum prædictorum, ſeu quæ eiſdem, vel alteri eorum, aut legitimis eorum hæredibus ſpectabant, ſeu ſpectarent, & pertinerent pro tempore, quo illi vel illis ſubiecti eſſent, necnon in Ciuitate, & Patria Leodienſi, ac Comitatu Loſſenſi, & Ducatu Bullonienſi, & etiam Ciuitate Cameracenſi, & tunc Comitatu Cameraceſij, ac Tornacenſi, & Morinenſi, & Attrebatenſi Ciuitatibus & Diœceſibus, & in Ciuitate Traiectenſi conſiſtentium; etiam ſi aliqui eorum extra terras & loca prædicta ſedem & reſidentiam haberent, & quacunque præfulgerent dignitate, bis ſeu duabus diſtinctis vicibus, vita, prælatura, & adminiſtratione eorum durante, vnum ex Magiſtris in Artibus, qui inibi in Facultate prædicta ſex annis legiſſet, vel rexiſſet, vel ob doctrinæ eminentiam ad docendam Logicam vel Phyſicam Ariſtotelis admiſſus, ſeu in illa nouem annis promotus & graduatus foret, & ex illius Conſilio eſſet, vel aliquando fuiſſet, & qui excepta prima vice, vltra octuaginta florenos auri de Camera huiuſmodi in annuis redditibus non haberet, ipſeque nominatus quodcunque beneficium ſeu officium Eccleſiaſticum, cum cura, vel ſine cura, in dictis literis expreſſum, eidem diſpoſitioni Apoſtolicæ reſeruatione generali in corpore iuris clauſa non reſeruatum, cuius fructus, redditus, & prouentus, ſexaginta florenos auri de Camera ſimiles, oneribus deductis, non excederent, quouis etiam menſe Apoſtolico vel ordinario acceptare valeret; nec ſic nominatus teneretur nominationem huiuſmodi inſinuare Capitulis, Collegijs, Conuentibus, Prælatis, Collatoribus, Collatricibus, vel ſingularibus Perſonis prædictis, aut poſt acceptationem factam de beneficio ſeu officio vacante, Collatorem ipſum, vel Collatricem, ſeu Capitula, Collegia, vel Conuentus huiuſmodi pro Collatione requirere, ſed quòd poſſet vigore dictæ nominationis de perſona ſua factæ, ab Exequutoribus in litteris SIXTI prædeceſſoris huiuſmodi deputatis, ſeu Decano Eccleſiæ S. PETRI dicti Oppidi Louanienſis pro tempore exiſtente, de beneficio ſeu Officio vacante ſibi prouideri facere, plenariè dicta authoritate Apoſtolica, abſque vlteriori requiſitione ipſorum Collatorum, Collatricum, Capitulorum, & Conuentuum, Collegiorum, vel perſonarum prædictarum, ac poſt ſuam acceptationem, ad inſtar expectantium Apoſtolicorum, & prout in gratijs expectatiuis obſeruabatur, inſinuare, ſeque in corporalem poſſeſſionem poni & induci facere conceſſit, & etiam perpetuò ordinauit, ſeu conceſſionem & Facultatem SIXTI prædeceſſoris huiuſmodi, ad hoc extendit, & ampliauit; voluitque omnes ſic pro tempo-

 re no-

re nominatos præferri quibuſcunque alijs, etiam habentibus vigore primariarum Regalium & Imperialium precũ, ſeu aliàs nominationes, etiam vigore quorumuis priuilegiorum & indultorum Apoſtolicorum, quibuſcunque alijs Studijs Generalibus, etiam Pariſienſi tunc, & pro tempore, etiam motu, authoritate, & poteſtate ſimilibus conceſſorum; quòdque ſuis litteris huiuſmodi nonniſi ſub certis modo & forma tunc expreſſis derogari poſſet. Inſuperque idem Leo prædeceſſor per reliquas ſuas litteras, motu, authoritate, & poteſtatis plenitudine paribus, declarauit, facultates, & deſuper confectas litteras præfatas, cum omnibus, & ſingulis conceſſionibus, indultis, ſtatutis, ordinationibus, & alijs in eis contentis clauſulis, quoad beneficia ſub illis comprehenſa, per quaſcunque litteras Apoſtolicas, Conſtitutiones, & Cancellariæ Regulas minimè reuocatas, ſuſpenſas, limitatas, vel modificatas fuiſſe, & eſſe, aut reuocari, caſſari, ſuſpẽdi, limitari, vel modificari potuiſſe, neque in futurum poſſe, niſi dum, & quoties in huiuſmodi futuris vacationibus, ſuſpenſionibus, & modificationibus, de alijs Sixti prædeceſſoris huiuſmodi, & ſuis prædictis litteris, ac diebus datæ earumdem, nomineque, & dignitate ipſius Maximiliani Imperatoris, tam etiam dum in humanis ageret, quàm eo vita functo, ſpecialis, ſpecifica, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio facta foret; & ipſe Leo prædeceſſor, vel ſucceſſores ſui Romani Pontifices pro tempore exiſtentes, per diuerſas litteras in forma Breuis duxiſſet, ſeu ſucceſſores præfati duxiſſent publicè in eadem Vniuerſitate inſinuandum, ſuæ, & ſucceſſorum eorumdem intentionum eſſe, litteras huiuſmodi ex aliqua cauſa reuocare, ſuſpendere, vel modificare, cum interuallo vnius menſis, inter datas ſingularum litterarum, in forma Breuis huiuſmodi, & non aliter, nec alio modo: & ſi forſan alio modo litteras huiuſmodi contingeret reuocari, ſuſpendi, vel modificari; ſeu iam tunc reuocatas fuiſſe, ex tunc prout ex ea die, & quoties ſic reuocatæ, vel ſuſpenſæ forent, in ſuum priſtinum, & eum, in quo ante reuocationem, ſuſpenſionem, vel modificationem huiuſmodi quomodolibet erant, ſtatum plenariè reſtituit, repoſuit, & reintegrauit, ac plenariè repoſitas, reſtitutas, & reintegratas fuiſſe, & eſſe declarauit.

Indultum Adriani VI. Succeſſiueque recolendæ memoriæ Adrianvs Papa VI. ſimiliter prædeceſſor noſter, ſingulas litteras Sixti & Leonis prædeceſſorum huiuſmodi, & in eis contenta quæcunque motu, ſcientia, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine ſimilibus approbauit, & innouauit, ac pro potiori cautela illa omnia de nouo conceſſit. Ita quòd Decanus vel Vicedecanus Facultatis Artium huiuſmodi, modo in litteris Leonis prædeceſſoris huiuſmodi expreſſo, quibuſcunque Collegijs, Capitulis, & alijs perſonis, etiam quacunque dignitate vel honore fungentibus, qualemcunque diſpoſitionem beneficiorum vel officiorum Eccleſiaſticorum, in quibuſuis Eccle-

ſijs locorum, Ciuitatum, & Diœceſium prædictorum conſiſtentium habentibus, Magiſtros in Artibus in dicta Facultate Artium promotos & graduatos, vt præfertur, nominare, ac nominati huiuſmodi quæcunque beneficia & officia, ſeniores videlicet Artium Magiſtri, qui dictum tempus attigiſſent, vel ſex annis in Facultate prædicta legiſſent, ſeu rexiſſent, vel ob doctrinæ eminentiam ad docendum Logicam vel Phyſicam Ariſtotelis admiſſi, ſeu in illa nouem annis promoti & graduati forent, & de illius Conſilio eſſent, vel aliquando extitiſſent, illa beneficia, quorum ſexaginta Ducatorum auri de Camera: Iuniores verò Artium Magiſtri, qui dictum tempus non attigiſſent, illa, quorum triginta florenorum Rhenenſium aureorum groſſi fructus, oneribus non ſolùm perpetuis, perſonalibus, & realibus, ſed etiam penſionibus annuis, alijs perſonis ſuper eiſdem beneficijs & officijs reſeruatis, & quibuſcunque alijs oneribus valorem fructuum, quos abſens in Studio, aut alio loco priuilegiato reciperet, diminuentibus, plenariè & totaliter deductis, valorem annuum reſpectiuè non excederent, quouis etiam mẽſe Apoſtolico vel ordinario, infra vnius menſis ſpatium, à die ſcientiæ vacationis beneficii computandum, etiamſi huiuſmodi beneficia, cum cura & ſine cura, Clerico ſæculari in titulum conferri, & per talem regi & gubernari ſolita, Canonicatus & præbendæ, dignitates, perſonatus, adminiſtrationes, vel officia, etiam Curata & electiua in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, vel Collegiatis, aut Scholaſtriæ, Matriculariæ, ſeu Cuſtodiæ, in Parochialibus Eccleſijs, vel Capellæ, ſeu quocunque alio nomine nuncupata, ac diſpoſitioni Apoſtolicæ quomodolibet, præterquam reſeruatione generali in corpore Iuris clauſa, reſeruata forent, acceptare, & de illis per Exequutores in eiſdem litteris SIXTI & LEONIS Prædeceſſorum prædictorum deputatos, ſeu eorum aliquem, aut quamcunque perſonam in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutam, per Exequutorem, ſeu quemcunque Notarium publicum, aut Presbyterum, vel Clericum, per dictos Magiſtros Artium nominatos, aut eorum quemlibet pro Subexequutore eligendum, ſeu eligendam ſibi prouideri facere: ipſique Exequutores & Subexequutores quemlibet eorumdem nominatorum in corporalem poſſeſſionem beneficiorum, ſic pro tempore acceptatorum, Ordinariis, Collatoribus prorſus irrequiſitis inducere. Et quòd tam Seniores, quàm Iuniores Artium Magiſtri præfati Secundò, Tertiò, ac toties nominari: Seniores videlicet, vt præfertur, qualificati, donec Octuaginta, Iuniores verò donec Quadraginta florenos auri de Camera, in fructibus beneficiorum, aut certis annuis redditibus, oneribus priùs modo expreſſo deductis, annuatim haberent. Et quod nominationem Vniuerſitatis, ac aliam nominationem Facultatis Artium huiuſmodi inſimul habere, ac vtraque vti & gaudere valerent. Quòdque ipſi Collatores vita, & Prælatura eorum durante, bis, ſeu duabus diſtin-

ctis

Digitized by Google

ctis vicibus, Capitula verò infrà decem annorum ſpatium ſemel vnum beneficium valoris priùs expreſſi reſpectiuè dictis Magiſtris ſic per dictam Facultatem Artium nominatis, conferre tenerentur. Et quòd dicti omnes & ſinguli Artium Magiſtri, ſiue Seniores, ſiue Iuniores eſſent, ſuper beneficiis per eos in vim eiuſmodi nominationum acceptatis, per quaſcunque perſonas cuiuſcunque dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſterent, etiamſi Abbatiali, Epiſcopali, Archiepiſcopali, aut alia maiori dignitate etiam Cardinalatus honore præfulgerent, aut in vim quarumcunque etiam conſeruatoriarum litterarum ac Priuilegiorum & indultorum Apoſtolicorum, etiam quibuſuis Eccleſiis, Monaſteriis, & locis, ac Archiepiſcopis, Epiſcopis, locorum Ordinariis, Abbatibus, Capitulis, Conuentibus, Collegiis, Vniuerſitatibus, etiam Pariſienſi, & aliorum Studiorum generalium, ac illorum, & quibuſuis aliis, etiam ex pacis & quibuſcunque aliis ex cauſis, ac ſub quibuslibet tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis pro tempore conceſſorum, extrà dictam Vniuerſitatem ad iudicium trahi non poſſent. Ipſi tamen nominati huiuſmodi ſuos in dictis beneficiis quoſcunque Aduerſarios coram aliquo ex Cōſeruatoribus Priuilegiorum eiuſdem Vniuerſitatis trahere valerent, perpetuò conceſſit, & ordinauit, ſeu priores litteras præfatas ad hoc extendit, & ampliauit, eiſdemque per Facultatem Artium, vt præfertur, nominatis, præfatam prælationem aduerſus nominatos, etiam vigore Primariarum precum Regalium & Imperialium conceſſit.

Indultum Gregorij XIII. Ac demum ſanctæ memoriæ GREGORIVS PP. XIII. etiam Prædeceſſor noſter, inclytæ memoriæ PHILIPPI II. Hiſpan. Regis Catholici, Brabantiæque & Flandriæ Ducis et Comitis, tàm ſuo, quàm Vniuerſitatis et Facultatis Artium huiuſmodi ſupplicationibus humiliter porrectis inclinatus, eadem Indulta Vniuerſitati et Facultati Artium præfatis, vt præmittitur, conceſſa, confirmauit, et quatenus foret opus, de nouo conceſſit; necnon valorem annuum fructuum beneficiorum in Indulto SIXTI prædeceſſoris prædicti expreſſum, ad eam ſummam, quam dictus LEO prædeceſſor in indulto Facultatis Artium expreſſerat: Ita tamen quòd ad conſtituendum valorem huiuſmodi, groſsi fructus dumtaxat, quos abſens in Studio perciperet, quibuſcunque oneribus deductis, extendit. Sed prohibuit eiſdem nominatis, ne iuri nominationum ſimpliciter, vel in fauorem alicuius vllatenus cedere, ſed prædictum ius in manibus ipſorum nominantium remittere poſſent; Voluitque quod ij, qui ad beneficia curam animarum habentia nominati fuiſſent, non admitterentur, niſi priùs ab Ordinarijs locorum præuio examine abſque concurſu faciendo approbati fuiſſent. Quòdque in eiſdem beneficiis curam animarum habentibus perſonaliter reſidere tenerentur, nec ſe eo nomine excuſare poſſent, quòd in dictis Vniuerſitate, & Facultate Artium Scholares eſſent, ſeu docentes, aut Magi-*Gregorius XIII. varie priuilegia conceſſa reſtringit.*

ſtri.

ſtri. Prout in ſingulis prædeceſſorum SIXTI, ac LEONIS, & GREGORII, necnon ſimilis memoriæ CLEMENTIS Papæ VII. etiam prędeceſſoris noſtri ſuper prædicta Conceſſione, & ampliatione eiuſdem ADRIANI prædeceſſoris, cùm ipſe ADRIANVS prædeceſſor, antequam eius litteræ deſuper conficerentur, ſicut Domino placuerat, rebus fuerat humanis exemptus, expeditis pleniùs continetur.

Denique idem GREGORIVS Prædeceſſor, ex ſupplicatione Rectoris, Doctorum, Magiſtrorum, & Scholarium Vniuerſitatis huiuſmodi, accepto quod recolendæ memoriæ MARTINVS PP. V. ſimiliter prædeceſſor noſter, perpetuò ſtatuerat, & ordinauerat, quòd nullus ex Rectore, Doctoribus, Magiſtris, & Scholaribus, cæteriſque legentibus Vniuerſitatis Louanienſis prædictæ, aut ibidem litteratum ſtudio inſiſtentibus, ſiue quæuis publica, vel priuata negotia nomine ipſius Vniuerſitatis quomodolibet exercentibus, tunc, & pro tempore exiſtentibus, quibuſcunque in cauſis, ſeu litibus, tunc motis, & de cætero mouendis, tam ciuilibus, quam criminalibus, aut mixtis, etiam mere prophanis, ſiue ratione delicti, aut contractus, vel rei de qua ageretur, vbicunque committeretur delictum, iniretur contractus, aut res ipſa conſiſteret, per quoſuis Exequutores, ſeu Iudices, & auctoritate litterarum dictæ Sedis, vel Legatorum eiuſdem ex huiuſmodi Conſtitutione, & eius toto tenore de verbo ad verbum plenam & expreſſam mentionem non facientium, forſan pro tempore deputatos, trahi, citari, vel etiam conueniri, aut aliàs ad Iudicium euocari extrà muros Oppidi prædicti Louanienſis valeret, ſiue poſſet; dummodo coram Cõſeruatoribus in prædicto Oppido per ipſum MARTINVM prædeceſſorem deputatis, aut aliquo eorundem, vel eius inibi Subdelegato de ſe querelantibus, ſingulis ſe paratos exhiberent, legitimè ſtare Iuri. Quòdque piæ memoriæ PAVLVS II. itidem prædeceſſor noſter perpetuò etiam ſtatuerat, & ordinauerat, quòd tunc deinceps in quibuſcunque litibus, querelis, & cauſis Rectoris, Doctorum, Magiſtrorum, & Scholarium prædictorum, contra eos de cætero mouendis, extra muros Oppidi huiuſmodi, vigore quarumcunque litterarum à Sede prædicta, ſeu illius Legatis, delegatis, & ſubdelegatis, aut aliàs quomodolibet emanatarum, in prima inſtantia, ſiue ageretur in poſſeſſorio, ſiue petitorio, ad Iudicium euocari, aut trahi, ſeu conueniri nequirent; dummodo parati eſſent in dicto Oppido coram aliquo ex Conſeruatoribus de iuſtitia quibuſcunque poſcentibus reſpondere. Et nihilominus quòd ipſi Rector, Doctores, Magiſtri, & Scholares, aduerſarios ſuos, dummodo Sedis prædictæ Officiales, aut in Romana Curia præſentes non eſſent, coram aliquo ex eiſdem Conſeruatoribus trahere, conuenire, & ad iudicium euocari facere, in prima inſtantia liberè & licitè valerent. Et quòd inſuper prædictus ADRIANVS prædeceſſor, vt præmittitur, ſtatuerat, & ordinauerat, quòd

omnes

omnes & ſinguli Artium Magiſtri, ſiue Seniores, ſiue Iuniores eſſent; ſuper beneficijs per eos in vim nominationis huiuſmodi acceptatis, per quaſcunque perſonas quomodolibet, vt præfertur, qualificatas, extra dictam Vniuerſitatem ad iudicium trahi non poſſent; ipſi tamen nominati ſuos in dictis beneficijs aduerſarios quoſcunque coram aliquo ex Conſeruatoribus Priuilegiorum Vniuerſitatis huiuſmodi trahere poſſent: Quòdque, etiamſi idem GREGORIVS prædeceſſor Statutum & ordinationem ADRIANI, vt præmittitur, confirmaſſet & approbaſſet; nihilominus pro eo quòd in litteris confirmationis eiuſdem GREGORII prædeceſſoris, de ADRIANI tantùm, non autem MARTINI neque PAVLI prædeceſſorum huiuſmodi Statutis, ordinationibus, & decretis mentio facta fuerat, nonnulli Statuta, ordinationes, & decreta MARTINI & PAVLI prædeceſſorum huiuſmodi vſu & effectu carere, neque amplius attendi debere, ac Rectorem, Doctores, Magiſtros, Scholares, & perſonas Vniuerſitatis huiuſmodi in quibuſcunque cauſis, aliàs quam occaſione beneficiorum in vim nominationis huiuſmodi acceptatorum motis, & mouendis extra muros dicti Oppidi ad iudicium euocari poſſe prætenderent; idem GREGORIVS prædeceſſor Statuta, ordinationes, & decreta MARTINI & PAVLI prædeceſſorum huiuſmodi, ac prout illa concernunt omnia, & ſingula in eis contenta, & prout iacent, necnon inde ſequuta quæcunque, quatenus eſſent in vſu, perpetuo approbauerat, & confirmauerat, & quatenus opus eſſet innouauerat, decernens Statuta, Ordinationes, & Decreta MARTINI & PAVLI prædeceſſorum huiuſmodi valida, & efficacia fore, & eſſe, prout in alijs eiuſdem GREGORII prædeceſſoris, ſub annulo Piſcatoris expeditis litteris pleniùs etiam continetur: In quibus etiam voluit, per quaſcunque alias, etiam in forma Breuis, & ſub nomine Cameræ Apoſtolicæ, ab ipſo GREGORIO prædeceſſore, ſeu alijs Romanis Pontificibus ſucceſſoribus ſuis, ſeu dicta Sede, vel illius Legatis, aut Nuntijs pro tempore emanatas litteras, etiam generales, ſeu ſpeciales, ſuis vltimo dictæ confirmationis litteris nullatenus derogari poſſe, nec derogatum cenſeri, niſi illarum tenor de verbo ad verbum inſertus, ac vrgens & ſufficiens cauſa expreſſa, & per trinas diſtinctas litteras illarum tenorem continentes, tribus diſtinctis vicibus, cum trium menſium interuallo, prædictæ Vniuerſitati legitimè intimatæ, & inſinuatæ; ac derogationes ipſæ motu proprio, & ex certa ſcientia factæ fuiſſent, appareretque Romanum Pontificem illis expreſsè derogare voluiſſe; decreuitque ſuas vltimo dictæ Confirmationis litteras de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut alio quouis defectu notari non poſſe; ſicque per quoſcunque Iudices ordinarios & delegatos, etiam ſacri Palatij Apoſtolici cauſarum Auditores, ſeu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorũ cuilibet quauis aliter iudicãdi, & interpretãdi facultate & authoritate, iudicari, & definiri debere.

De-

Demumque idem GREGORIVS prædeceſſor, per alias ſuas litteras in forma Breuis confectas, eidem Vniuerſitati, & Facultati Artium, & ſeu eorum, vt præfertur, nominatis, quòd de cætero inſinuationes, ſeu præſentationes nominationum ad beneficia, & officia huiuſmodi pro tempore factarum fieri poſſent, & ſufficientes eſſe cenſerentur, ſi fierent per litteras ad valuas Eccleſiæ affixas, illarumque relicta copia, in loco ſolitæ reſidentiæ ipſorum Collatorum, quatenus eorumdem Collatorum præſentia commodè haberi non poſſet, etiamſi Collatores ipſi eſſent Capitula, Collegia, Conuentus, Epiſcopi, Archiepiſcopi, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ac alij quicunque, conceſſit: prout in ſingulis prædictorum prædeceſſorum noſtrorum litteris plenius continetur.

Cumque annis retrò elapſis per Nos accepto, quòd ſtantibus prædictarum conceſſionum, & indultorum, ac confirmationum, & decretorum litteris, ſuper ipſarum litterarum, & in eis contentorum interpretatione, & exequutione, ſicut antea, ita & hiſce temporibus in Patria, Ciuitate, & Diœceſi Leodienſi, multæ oriebantur contentiones, & lites inter eoſdem Rectores, Decanum, Magiſtros, & Scholares prædictæ Vniuerſitatis, ſeu eorum ad prædicta beneficia in Ciuitate, Patria, & Diœceſi Leodienſi conſiſtentia nominatos ex vna, & Curiales Romanæ Curiæ, & ſeu alios à Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, ac etiam à Nobis de Canonicatibus, & Præbendis, alijſque beneficijs præfatis, in aliquo ex menſibus Sedi Apoſtolicæ reſeruatis vacantibus prouiſos, ex altera; contendentibus eiſdem per Decanum, & Vicedecanum Facultatis Artium Vniuerſitatis prædictæ nominatis, eorum nominationes eſſe validas, & ſeruata forma indultorum prædictorum, ac ad fauorem perſonarum in eiſdem indultis qualificatarum factas, ſeque propterea eſſe legitimos beneficiorum prædictorum poſſeſſores, & contradictores, & conſequenter coram Auditore Cameræ, vel alijs Exequutoribus, ſeu Iudicibus Apoſtolicis ad Romanam Curiam, vel extra eam, & præſertim ſacri Palatij Apoſtolici cauſarum Auditoribus non poſſe, etiam vigore litterarum in forma Breuis, etiam da capienda poſſeſſione nomine Cameræ ſuper prædictis beneficijs per eoſdem nominatos acceptatis, vel illorum poſſeſſione, aut litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Breuis Cameralis præfati exequutione vocari, & trahi: Prouiſis autem Apoſtolicis, & præcipuè Curialibus contrarium affirmantibus, nempe prouiſiones Apoſtolicas eſſe Canonicas, litteraſque deſuper etiam in forma Breuis nomine Cameræ expeditas, & coram Auditore Cameræ, vel alio Iudice, ſeu Exequutore Apoſtolico vbicunque reſidente præſentatas, ſuum debuiſſe, & debere ſortiri effectum, contra eoſdem per Vniuerſitatem, ac Decanum, ſeu Vicedecanum Facultatis Artium nominatos, quorum nominationes coram Exequutore Apoſtolico non exhibebantur, & forſan exhibitæ non comprobaban-

Difficultates cum Louanieſibus, ratione præfactorũ Indultorum.

babantur factæ, ſeruata forma prædictorum indultorum; & ad fauorem perſonarum iuxta eadem indulta qualificatarum; & proinde Magiſtros, & Scholares, aliaſque perſonas dictæ Vniuerſitatis ad beneficia in menſibus reſeruatis vacantia nominatos, potuiſſe, & poſſe coram Auditore Cameræ, & alijs quibuſcunque Iudicibus Romanæ Curiæ, & alijs Exequutoribus Apoſtolicis vbilibet reſidentibus, nedum ex eo, quòd indulta de non euocando nominatos fauebant legitimè tantùm iuxta formam indultorum nominatis, non autem alijs, & excipiebant Officiales ac Curiales: & propterea hactenus, tam in noſtro Rotæ Auditorio, quàm coram Auditore Cameræ, ante, & poſt litteras Confirmationis eiuſdem GREGORII prædeceſſoris fuerant latæ, ac exequutioni mandatæ, diuerſæ ſententiæ, ac factæ plures deciſiones ad fauorem Curialium, & contra eoſdem nominatos; & occaſione litium ac contentionum huiuſmodi magna in dies oriebantur ſcandala, & maiora poterant veriſimiliter exoriri, cum magno prædictæ Vniuerſitatis & Facultatis Artium, necnon Curialium, aliorumque Prouiſorum Apoſtolicorum detrimento. Nos ad litium anfractus euitandos, ſcandaliſque, & malis, incommodiſque, & detrimentis prædictis obuiandum, prout in Domino conſpicimus expedire, dilectos Filios noſtros IOANNEM GARCIAM Sanctorum Coronatorum, MILLINVM, & FABRITIVM S. AVGVSTINI, VERALLVM, ac HORATIVM, S. Saluatoris in lauro titulorum LANCELLOTTVM, inunctos Presbyteros Cardinales, necnon dilectum Filium Magiſtrum MARCVM AVRELIVM MARALDVM Datarium noſtrum, ad negotium huiuſmodi diſcutiendum, Nobiſque referendum deputauimus; Coram quibus tam PHILIPPVS MASIVS Eques Auratus, à Conſilijs Finantiarum eiuſdem ALBERTI Archiducis, & pro eo apud Nos Reſidens, quàm CAROLVS ROBAVLX Canonicus Cameracenſis, & Agens Statuum Ducatus Brabantiæ, ad Nos ſpecialiter à Statibus, & Vniuerſitate prædictis, ob haſce cauſas deſtinatus, dilecti Filij, pluries comparuerunt, indultaque, & priuilegia prædictæ Vniuerſitatis, ac Facultatis Artium exhibuerunt, & ſuper eis diuerſas ſeſſiones ſuper prædictis prætenſionibus fieri obtinuerunt, ac pro prædictorum indultorum Apoſtolicorum confirmatione iteratis vicibus ſupplicarunt.

Priuilegia Louanienſium aliàs in Rotæ Auditorio diſputata, & ad fauorē Curialium deciſiones factæ.

Audita igitur per Nos relatione eorumdem S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, & Datarij, præmiſſiſque omnibus priùs maturè digeſtis, tam erga Magiſtros, & Scholares, quàm Curiales, alioſque Prouiſos Apoſtolicos, paterna charitate affecti, volenteſque eos in pacis amœnitate pro noſtro poſſe confouere; ipſoſque ALBERTVM Archiducem, necnon Rectorem, Doctores, Magiſtros, & Docentium, ac Scholarium, ſeu Studentium, Vniuerſitatiſque, & Facultatis Artium, ac Statuum, & Curialium prædictorum ſingulares perſonas à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure,

Occaſio noui Indulti.

Digitized by Google

à iure, vel ab homine; quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, etiam motu noſtro proprio, ex noſtraque mera liberalitate, & certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, Apoſtolica auctoritate, tenore præſentium decernimus, & ordinamus.

Abrogatur facultas nominandi ad Beneficia Leodien.

Videlicet quoad Beneficia in Ciuitate, Patria, & tota Diœceſi Leodienſi; ſiue in Patria, & non Diœceſi, ſiue in Diœceſi, & non in Patria Leodienſi, in quibus Comitatus Loſſenſis, & Ducatus Bullonienſis comprehenduntur, conſiſtentia, ius, & facultatem nominandi per prædicta indulta Apoſtolica Decano, ſeu Vicedecano Facultatis Artium prædictæ Vniuerſitatis, ac forſan Rectori eiuſdem Vniuerſitatis conceſſum, & conceſſam, vel aliàs quomodolibet competens, & competentem abrogamus, & perpetuò tollimus. Eademque indulta, & conceſſiones quoad prædictum ius ſeu facultatem nominandi perpetuò reuocamus, ac etiam de conſenſu eiuſdem Facultatis Artium irritamus, & extinguimus. Ita quòd prædictus Decanus, vel Vicedecanus Facultatis Artium, nec alia perſona eiuſdem Vniuerſitatis de cætero habeat, aut prætendere poſſit perpetuis futuris temporibus, aliquod ius, ſeu aliquam facultatem nominandi ad quæcunque Beneficia prædictarum Ciuitatis, Patriæ, totiuſque Diœceſis Leodienſis.

Datur facultas cōferendi Beneficia Leod. per obitum vacantia, in Nouẽb. ſingulis annis, & in Ianuario alternis, eaque varijs modis reſtringitur.

Et loco eiuſdem iuris, ſeu facultatis nominandi concedimus Decano, ſeu Vicedecano prædictæ Facultatis Artium, vt perpetuis futuris temporibus ipſi Decanus, vel Vicedecanus, de conſenſu Rectoris, & Procuratorum quatuor Nationum eiuſdem Facultatis, per ſe, vel alios ad id ab eis ſubſtituendos præſtando, ſeu maioris partis eorum, Beneficia, cum cura, & ſine cura, ſæcularia in titulum Clericis ſæcularibus conferri, & per Clericos ſæculares regi, & gubernari ſolita, in Ciuitate, Patria, & Diœceſi, etiam non Patria Leodienſi pro tempore, per obitum dumtaxat vacantia; etiamſi ſint Canonicatus, & Præbendæ, Perſonatus, Adminiſtrationes, & Dignitates cuiuſcunque qualitatis, & valoris, non tamen maior poſt Pontificalem in Eccleſia Leodienſi, nec principalis dignitas in qualibet ex Collegiatis Ciuitatis, Patriæ, & totius Diœceſis, etiam non Patriæ Leodienſis, conferre: illa tamen, illos, & illas, quæ in Ciuitate, Patria, & Diœceſi, etiam non Patria Leodienſi, per obitum tantùm vacare contigerit in Menſe Ianuarij, & Nouembris, Anni proximè venturi milleſimi ſexcenteſimi decimi ſeptimi, & vnico menſe, ſcilicet menſe Nouembris Anni immediatè ſequentis milleſimi ſexcenteſimi decimi octaui, & ſic deinceps perpetuis futuris temporibus. Ita quod alter-

natim vno Anno vacantia per obitum dumtaxat in prædictis duobus menſibus, & alio Anno vacantia, ſimiliter per obitum in prædicto vnico menſe tantùm conferri valeant Magiſtris in artibus ibidem graduatis, & reſidentibus, tam ſenioribus ſcilicet, qui inibi in Facultate Artium ſex annis legerint, aut rexerint, vel ob doctrinæ eminentiam ad docendum Logicam & Phyſicam Ariſtotelis admiſſi, vel in illa à nouem annis promoti & graduati, & de illius conſilio forent, vel aliquando fuiſſent; quàm Iunioribus, videlicet ibidem graduatis, & reſidentibus, prædictas alias qualitates non habentibus, cuiuſcunque patrimonij ſint Magiſtri prædicti; Ita quòd quicunque eorumdem Magiſtrorum in Artibus Seniorum & Iuniorum annui redditus, etiam patrimoniales, vel Eccleſiaſtici cuiuſcunque valoris, non impediant quò minus eiſdem poſſit de prædictis Beneficijs, per Decanum, vel Vicedecanum prædictæ Facultatis Artium, vt ſuprà, prouideri. Quòdque reſpectu Beneficiorum prædictorum in Ciuitate, Patria, & Diœceſi, etiam non Patria Leodien. dumtaxat per obitum, vt præfertur, in prædictis duobus menſibus vnius, & in prædicto alio menſe alterius Anni vacantium; idem Decanus vel Vicedecanus Facultatis Artium habeat plenum ius & facultatem conferendi, ac immittendi ſuos, vt præfertur, prouiſos in poſſeſſionem prædictorum Beneficiorum, prout cæteri Collatores ordinarij eiuſdem Patriæ Leodienſis; & in prædictis Beneficijs & vacationibus tantùm, gaudeat Concordatis inter Sedem Apoſtolicam, & Nationem Germanicam, antea initis, alijſque iuribus, quibus gaudent cæteri Collatores eiuſdem Patriæ Leodienſis.

Excipiuntur Preces, & quæ per alia indulta Apoſtolica cōferuntur.

Quia verò antea durante facultate nominandi in Ciuitate, Patria, & Diœceſi, etiam non Patria Leodienſi, nominati præferebantur, iuxta prædicta indulta LEONIS X. ADRIANI VI. & GREGORII XIII. prædeceſſorum huiuſmodi, nominatis vigore primariarum precum, etiam Regalium, & Imperialium, aliorumque indultorum Apoſtolicorum; Hinc Nos, quòd Beneficia in prædictis menſibus Decano, vel Vicedecano Facultatis Artium aſſignatis, per obitum vacantia non comprehendantur in prædictis primarijs precibus, alijſque indultis Apoſtolicis, nec ad illa poſſint fieri illorum vigore aliquæ nominationes, nec acceptationes, declaramus, & decernimus.

Reliquorum verò Beneficiorum, Canonicatuum, Præbendarum, Dignitatum, & aliorum quomodolibet qualificatorum Ciuitatis, & Patriæ, ac totius Diœceſis, etiam non Patriæ Leodienſis, aliàs quam per obitum, vt præfertur, ac etiam in cæteris menſibus Apoſtolicis, ſcilicet Martij, Maij, Iulij, & Septembris, Anni immediatè ſequentis milleſimi ſexcenteſimi decimi ſeptimi, & in menſibus Ianuarij, Mar-

tij,

tij, Maij, Iulij, & Septembris, Anni immediatè ſequentis milleſimi ſexcenteſimi decimi octaui, & ſic deinceps alternatim in perpetuum, ſiue per obitum, ſiue aliàs quomodolibet vacantium libera Collatio, & Prouiſio, & omnimoda Diſpoſitio, ad Nos, & Sedem Apoſtolicam, Romanoſque Pontifices noſtros ſucceſſores remaneat, ſpectetque & pertineat, reſeruataque ſit, & eſſe cenſeatur, prout harum ſerie perpetuò Nobis, & Sedi Apoſtolicæ reſeruamus, abſque eo quòd ad prædicta Beneficia, ſic vt præfertur, Sedi Apoſtolicæ reſeruata poſſint Magiſtri ſeniores, vel iuniores, Scholares, vel aliæ perſonæ dictæ Vniuerſitatis de cætero perpetuis futuris temporibus nominari per dictos Decanum, vel Vicedecanum Facultatis Artium, aut Rectorem eiuſdem Vniuerſitatis, nec quibuſcunque nominationibus forſan hactenus ad eorum fauorem factis, vti, quas ex nunc reuocamus, & annullamus, ac pro reuocatis, & annullatis haberi decernimus.

Excipiuntur quædã Beneficia Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni reſeruata.

In prædicta autem facultate conferendi per Nos Decano, & ſeu Vicedecano Facultatis Artium, vt præmittitur, quoad Beneficia Ciuitatis, Patriæ, & Diœceſis, etiam non Patriæ Leodienſis conceſſa, præter maiorem poſt Pontificalem in Cathedrali Leodienſi, ac principales in Collegiatis Eccleſijs Ciuitatis, Patriæ, & totius Diœceſis, etiam non Patriæ Leodienſis ſuperiùs exceptas; alias quoque dignitates electiuas, ac Beneficia Conſiſtorialia, & ſeu in libris Cameræ Apoſtolicæ taxata, aliaque Monaſteria & Beneficia regularia, nec non quæcunque Beneficia apud Sedem Apoſtolicam vacantia, & aliàs reſeruatione, vel affectione in corpore Iuris clauſa, Sedis Apoſtolicæ diſpoſitioni reſeruata, nullatenus comprehendi, ſed diſpoſitioni Apoſtolicæ Sedis reſeruatas, & reſeruata etiam declaramus, & volumus. Ita quòd prædicti Decanus, vel Vicedecanus Facultatis Artium non poſſint quoquo modo in illorum prouiſione, collatione, electione, vel nominatione, aut alia diſpoſitione ſe ingerere, etiamſi in prædictis duobus vnius, & vno alterius Anni menſibus Decano, & ſeu Vicedecano Facultatis Artium, vt ſupra, alternatiuè aſſignatis, per obitum de cætero vacauerint.

Datur iuriſdictio in cauſis Beneficiorum Leodienſiũ.

Et ad tollendas contentiones iuriſdictionum, quæ inter Exequutores Apoſtolicos, & Iudices per Nos, ac Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros pro tempore dandos, & delegandos ex vna, ac Conſeruatores Priuilegiorum prædictæ Vniuerſitatis ex altera, ſuper cognitione cauſarum ſuper eiſdem Beneficijs Ciuitatis, Patriæ, & totius Diœceſis, etiam non Patriæ Leodienſis, de cætero exoriri poſſent, decernimus, & declaramus cognitionem, & deciſionem cauſarum ſuper Beneficijs in menſibus Facultati Artium, vt præmittitur, aſſignatis, per obitum tantùm vacantibus, non tamen, vt præfertur, exceptis, Se-

 dique

dique Apoſtolicæ reſeruatis, de cætero mouendarum ſpectet, & pertineat ad Conſeruatorem, vel Conſeruatores prædictæ Vniuerſitatis; ita vt Magiſtri ſeniores, & iuniores à Decano, vel Vicedecano Facultatis Artium, vt præmittitur, prouidendi de Beneficijs prædictis, vt ſupra, vacantibus, non poſſint etiam vigore quarumcunque litterarum Sedis Apoſtolicæ, & Legatorum, aut Nunciorum eiuſdem, etiam in forma Breuis de capienda poſſeſſione Beneficiorum nomine Cameræ, nec aliàs extra Vniuerſitatem Louanienſem, per quemcumque, etiam Curialem Romanæ Curiæ, aut Officialem Sedis Apoſtolicæ, vel alium Prouiſum Apoſtolicum trahi. Ipſi verò Magiſtri quoſcunque aduerſarios, quoad prædicta Beneficia, vt præfertur, per obitum tantùm vacantia, coram aliquo ex Conſeruatoribus trahere poſſint, iuxta litteras ADRIANI VI. & GREGORII XIII. prædeceſſorum huiuſmodi.

Conſeruatores Vniuerſitatis de Beneficijs Sedi Apoſtolicæ reſeruatis decidere non poſſunt.

Cauſarum verò ſuper Beneficijs in quatuor, & quinque menſibus alternatorum annorum reſpectiuè, vt ſupra, vacantibus, alijſque Beneficijs Sedi Apoſtolicæ, vt præfertur, reſeruatis, vel affectis, & alijs, vt ſupra exceptis, de cætero mouendarum cognitio, & deciſio remaneat, & ſpectet ad Sedem Apoſtolicam, & fieri debeat per Exequutorem, vel Exequutores, & Iudices, per Nos, Romanoſque Pontifices ſucceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam pro tempore vbilibet, etiam in Romana Curia, & alibi, etiam vltra tres, & quotcunque alias dietas, etiam in Exequutione quarumcunque litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Breuis, & de capienda poſſeſſione nomine Cameræ Apoſtolicæ, ac quarumcunque Commiſſionum Apoſtolicarum, & Prouiſionum eorumdem Beneficiorum, & cuiuſlibet eorum deputandos, & delegandos, deputandumque vel delegandum. Ita vt prouiſi Apoſtolici ſuper prædictis Beneficijs Ciuitatis, Patriæ, & totius Diœceſis, etiam non Patriæ Leodienſis, in prædictis quatuor & quinque menſibus, alternatis annis, vt præfertur, quomodolibet vacantibus, ac alijs in prædicta facultate conferendi Decano, vel Vicedecano Facultatis Artium conceſſa, vt præmittitur, non comprehenſis, &, vt ſupra, exceptis, poſſint coram quocunque, vel quibuſcunque Exequutore, vel Exequutoribus, ac Iudicibus Apoſtolicis vbilibet extra Oppidum Louanienſe, ac etiam in Romana Curia, & alibi, etiam vltra tres, & quotcunque alias dietas citare, vocare, & conuenire quoſcunque Magiſtros, Scholares, Rectorem, & alias quaſcunque perſonas, & Officiales prædictæ Vniuerſitatis, etiam quòd actu litterarum, & Theologiæ Studio, vel Lecturæ, ſeu Magiſterio, vel cuicunque alteri Officio incumbant: nec ijdem Magiſtri, vel Scholares, cæterique Officiales, & perſonæ eiuſdem Vniuerſitatis poſſint

Louanienſes in Romana Curia & alibi etiam vocari & conuenire poſſunt.

quem-

quemquam ex eiſdem, vt præfertur, prouiſis Apoſtolicis ad iudicium coram ijſdem Conſeruatoribus dictæ Vniuerſitatis trahere, nec quominùs mandata de immittendo, & alia quæcunque etiam exequutiua per Exequutores, & Iudices Apoſtolicos decernenda, & relaxanda exequutioni demandentur, quoquo modo impedire; nec Conſeruator, vel Conſeruatores Vniuerſitatis huiuſmodi poſſint in eis aliquo modo, nec cognoſcendo, nec impediendo ſe ingerere; ſub nullitatis omnium actorum, ac Cenſurarum, & amiſſionis Officiorum, & priuationis beneficiorum Eccleſiaſticorum per eos obtentorum pœna ipſo facto, etiam abſque alia ſententia declaratoria incurrenda.

Prouiſi Apoſtolici a Cõſeruatoribus ad Iudicium ſuũ trahi non poſſunt ſub pœnis.

Et quatenus oriretur controuerſia, an eadem Beneficia prædictæ Ciuitatis, Patriæ, Diœceſis Leodienſis, ſeu eorum aliquod vacauerint, vel vacauerit in aliquo ex duobus vel vno menſibus ſucceſſiuè eidem Facultati Artium, vt ſupra, aſſignatis, vel potiùs in aliquo ex menſibus cuilibet ordinario Collatori iuxta Concordata inter Sedem Apoſtolicam, & Nationem Germanicam aliàs inita aſſignatis; tunc cognitio ſpectabit, prout antea ſpectauit, ad Conſeruatorem, ſeu Conſeruatores prædictæ Vniuerſitatis; excepto tamen caſu, quando Collatio, vel Diſpoſitio Beneficij, ſeu Beneficiorum prædictorum vacantium erit Sedi Apoſtolicæ aliàs quam ratione menſis reſeruata; tunc enim cognitio, & deciſio cauſarum deſuper mouendarum ſpectet ad Exequutorem, vel Exequutores, ac Iudices Apoſtolicos, vt præfertur, vbilibet deputandos. Ita vt Conſeruator, vel Conſeruatores Vniuerſitatis non poſſint in eis aliquo modo, nec cognoſcendo, nec impediendo, vt præfertur, ſe ingerere; ſub eadem pœna nullitatis actorum quorumcunque, ac Cenſurarum, & amiſſionis Officiorum, & Beneficiorum Eccleſiaſticorum per eos obtentorum ipſo facto, vt præfertur, incurrenda.

Volumus autem quòd in Oppido Traiecti ad Moſam, prædictæ Diœceſis Leod. fiant de cætero nominationes, iuxta indultorum antiquorum prædictorum formam & tenorem, ad Canonicatus, & Præbendas, ac Beneficia Collegiatæ Eccleſiæ S. SERVATII; Collationes verò fiant de Canonicatibus, & Præbendis, ac Beneficijs alterius Eccleſiæ Collegiatæ S. MARIAE, eiuſdem Oppidi, iuxta præſentis immutationis, & conceſſionis noſtræ formam, & tenorem. Declarantes inſuper, ſi quæ loca Diœceſis Leodienſis reperiantur de præſenti, ſub Dominio, & actuali iuriſdictione eiuſdem Archiducis ALBERTI, tunc in eis pariter fieri debere nominationes iuxta prædictorum SIXTI, LEONIS, ADRIANI, & GREGORII prædeceſſorum huiuſmodi indultorum formam & tenorem.

Declaratio Beneficiorũ Leodienſiũ.

Quo verò ad Beneficia extra Ciuitatem, Patriam, & Diœceſim, etiam

De Nomi-

nationibus ad Beneficia non Leod.

etiam non Patriam Leodienſem, in Ciuitate Cameracenſi, & Comitatu Cameraceſij, ac Tornacenſi, Morinenſi, Attrebatenſi Ciuitatibus, & Diœceſi, alijſque prædictis Dominijs olim MAXIMILIANI, & CAROLI Imperatorum, & nunc ALBERTI Archiducis prædictorum per prædictas SIXTI, LEONIS, ADRIANI, ſeu CLEMENTIS, ac GREGORII prædeceſſorum huiuſmodi litteras expreſſis conſiſtentia, Nos, vt eamdem Artium Facultatem, ac etiam Vniuerſitatem prædictam amplioris gratiæ fauore proſequamur, taxam beneficiorum prædictorum extra Patriam, & Diœceſim Leodienſem conſiſtentium, ad quæ vigore prædictorum indultorum SIXTI, LEONIS, ADRIANI, & GREGORII prædeceſſorum huiuſmodi, vt præmittitur, fieri poſſunt nominationes ad valorem ſexaginta Ducatorum in eiſdem indultis limitatam, vſque ad Ducatos centum auri de Camera augendam duximus; Quantitatem verò patrimonij aliàs per eadem indulta ad ſummam annui reditus octuaginta Ducatorum ſimilium reſtrictam, vſque ad Ducatos centum & triginta ſimiles reſpectu Magiſtrorum ſeniorum, vt ſupra qualificatorum, Facultatis Artium, ac etiam in ſacra Theologia Magiſtrorum, Iuriſque Canonici & Ciuilis, ac Medicinæ Doctorum, necnon Licentiatorum de Conſilio Vniuerſitatis exiſtentium augemus.

Confirmantur Indulta anteriora, quatenus huic præſẽti non aduerſantur.

In reliquis verò ſaluis ſemper, & intactis remanentibus omnibus, & ſingulis ſupra per Nos ſtatutis, & ordinatis, & non aliàs, prædicta indulta, & litteras MARTINI V. & PAVLI II. SIXTI IV. LEONIS X. ADRIANI VI. & GREGORII XIII. prædeceſſorum noſtrorum, ac omnia, & ſingula in eis contenta, quæ tamen in aliquo præſentibus Statuto, & ordinationi noſtris non aduerſantur, confirmamus, & approbamus; quæcunque verò contraria, vel in aliquo repugnantia reuocamus.

Moderatio Nominationũ & Collationũ quoad Beneficia Curata.

Volumus autem, & mandamus, quòd ij, quibus de beneficijs curam animarum habentibus, & in Ciuitate, Patria, & Diœceſi Leodienſi conſiſtentibus, vt præfertur, prouiſum fuerit, necnon alij qui ad beneficia ſimilem curam animarum habentia, & in Dominijs ALBERTI, Archiducis prædicti, alijſque locis conſiſtentia nominati fuerint, ad illa non admittantur, niſi priùs ab Ordinarijs locorum præuio examine abſque concurſu faciendo, fuerint approbati; Quòdque in eis perſonaliter reſidere teneantur, nec ſe eò minùs excuſare poſſint, quòd in dictis Vniuerſitate, & Facultate Artium Scholares ſint, aut Docentes, ſeu Magiſtri, vel Officiales, ſeu Rector.

Indulta pro Ferdinando Epiſcopo Leodien. & alia.

Per præſentes autem non intendimus indulto per Nos venerabili Fratri noſtro FERDINANDO Epiſcopo Leodienſi, conferendi certa Beneficia reſeruata prædictæ Ciuitatis, & Diœceſis Leodienſis, ad

cer-

certum tempus conceſſo, & forſan prorogando, vel eidem FERDINANDO Epiſcopo de nouo concedendo; quatenus eidem prorogari, vel de nouo concedi contingat, derogare, ſeu eius indulto præiudicare in aliquo: In alijs verò indultis, tàm in Epiſcopatu prædicto Leodienſi eiuſdem FERDINANDI ſucceſſoribus quomodolibet qualificatis, etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ac Sedis Apoſtolicæ de latere Legatis, ſeu Nuntijs, per Nos, & Romanos Pontifices ſucceſſores noſtros concedendis, Beneficia in menſibus Facultati Artium, vt præmittitur, per Nos conceſſa; per obitum tantùm vacantia, minimè comprehendi, nec comprehenſa cenſeri, nec etiam comprehenſa cenſeri indulto moderni Nuntij Colonienſis decernimus, & declaramus.

Præſentibus quoque noſtris per quaſcunque alias, etiam in forma Breuis, & ſub nomine Cameræ Apoſtolicæ à Nobis, ſeu alijs Romanis Pontificibus ſucceſſoribus noſtris, ſeu dicta Sede, vel illius Legatis, aut Nuntijs pro tempore emanatas litteras, etiam quaſlibet generales, vel ſpeciales, etiam derogatoriarum derogatorias, aliaſque efficaciores, & inſolitas clauſulas, nec non irritantia, & alia decreta in ſe continentes, & ſub quibuſcunque verborum formis, ac expreſſionibus conceptas derogari nullatenus poſſe, nec derogatum cenſeri, niſi earumdem præſentium tenor de verbo ad verbum nihil penitus omiſſo inſertus, ac vrgens, & ſufficiens cauſa expreſſa, & per trinas diſtinctas litteras, illarum tenorem continentes, tribus diſtinctis vicibus, cum trium menſium interuallo, prædictæ Vniuerſitati legitimè intimata, & inſinuata, ac derogationes ipſæ motu, & ſcientia ſimilibus factæ fuerint, appareatque Romanum Pontificem illis expreſſe derogare voluiſſe, & aliter pro tempore factas derogationes nullius roboris, vel momenti fore, & nemini ſuffragari, ac pro infectis, & non conceſſis haberi debere: Ipſaſque præſentes litteras de ſubreptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis noſtræ, vel alio quouis defectu ex quauis cauſa notari, impugnari, vel inualidari, aut ad terminos Iuris reduci, ſeu in ius, vel controuerſiam reuocari, minuſque ſub quibuſuis ſimilium, vel diſſimilium gratiarum reuocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut alijs contrarijs diſpoſitionibus minimè comprehendi poſſe; ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties emanabunt, toties in priſtinum, & eum in quo ante præmiſſa quomodolibet erant, ſtatum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de nouo etiam ſub Dat. per dictam Vniuerſitatem eligenda conceſſas eſſe. Sicque per quoſcunque Iudices ordinarios, vel delegatos quauis auctoritate fungentes, etiam ſacri Palatij Apoſtolici cauſarum Auditores, ſeu ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, &

corum

eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, & diffiniri debere. Irritum quoque, & inane quidquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus. Non obſtantibus fælicis memoriæ BONIFACII Papæ VIII. itidem prædeceſſoris noſtri, qua cauetur, ne quis extra ſuam Ciuitatem, vel Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltra vnam dietam, à fine ſuæ Diœceſis ad iudicium euocetur, ſeu ne Iudices à Sede prædicta deputati extra Ciuitatem, vel Diœceſim, in quibus fuerint deputati, contra quoſcunque procedere, aut alij, vel alijs vices ſuas committere audeant, vel præſumant; & in Concilio generali edita, de duabus dietis, aliſque Apoſtolicis, ac in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis, ſpecialibus, vel generalibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon quibuſuis inhibitionibus, etiam ab ipſis Auditoribus, ſeu Cardinalibus, vel eorum aliquo vigore quarumcunque Commiſſionum, ſeu litterarum Apoſtolicarum, quoad beneficia per obitum tantùm in menſibus Facultati Artium aſſignatis vacantia, ſuperiùs non excepta iam forſan emanatis, & in poſterum emanandis, necnon Eccleſiarum, Monaſteriorum, Vniuerſitatum, Prouinciarum, Regionum, Ciuitatum, Oppidorum, & locorum quorumcunque, etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, Statutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis, illis, ac quibuſuis Archiepiſcopis, Epiſcopis, Ordinarijs, etiam Cardinalatus honore fulgentibus; & quibuſuis alijs perſonis quacunque dignitate præditis, necnon Capitulis, Collegijs, Conuentibus, Communitatibus, & Vniuerſitatibus Studiorum etiam generalium, necnon locis, ſub quibuſcunque tenoribus & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliſque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & alijs decretis, per Nos, ſeu quoſcunque Romanos Pontifices, aut Sedem præfatam, in genere, vel in ſpecie, etiam ad Imperatoris, Regum, Reginarum, Archiducum, Ducum, vel aliorum Principum inſtantiam, ſeu etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, vel aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiamſi pro eorum ſufficienti derogatione de illis, eorumdemque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda eſſet, tenores eiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, illis aliàs in ſuo robore permanſuris

ris, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque.

Volumus autem quòd eædem præſentes litteræ affigi, & per aliquod temporis ſpatium dimitti debeant in Valuis Eccleſiæ maioris Leodienſis, ac Eccleſiarum Collegiatarum Traiectenſis ad Moſam, & Tongrenſis Oppidorum, dimiſſaque deinde illarum copia, ſeu tranſumpto per Notarium publicum collationato, concordato, & ſubſcripto affixæ, ſeu affixo. Quòdque affixio ſic facta habeat vim validæ, & efficacis Apoſtolicæ inhibitionis, contra omnes, & quoſcunque Collatores cuiuſcunque qualitatis, gradus, & conditionis exiſtentes, etiamſi Capitula, Conuentus, & Monaſteria, tam Virorum, quàm Mulierum, Prælati, & quicunque alij Collatores ſint quomodolibet qualificati; arctetque illos, ac illa, ac afficiat perinde, ac ſi cuilibet Collatori, tam coniunctim, & Collegialiter, ac Conuentualiter, quàm diuiſim, & inſolidum perſonaliter intimatæ, & notificatæ legitime fuiſſent.

Publicatio, & effectus Indulti præſentis.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ abſolutionis, ordinationis, decretorum, abrogationis, ſublationis, reuocationum, irritationis, extinctionis, conceſſionis, declarationum, reſeruationis, annullationis, voluntatum, augmenti, confirmationis, approbationis, mandati, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire, Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pavli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſexto decimo, Kalendis Decemb. Pontificatus noſtri Anno duodecimo.

Eratque ſubſcriptum.

M. Dat.

Infra erat.

Dup.tum *ad latus* I. Bvlgarinvs.

Paulo infra.

N. I. Dot.

Eratque appenſum ſigillum plumbeum, in quo ſic habebatur.

PAVLVS PAPA V.

Digitized by Google

In dorſo erat ſic ſcriptum.

ANno Incarnationis Dominicæ M. DC XVI. Die nona Martij, Vniuerſitas Studij Generalis Oppidi Louanienſis, per Dominum Carolum Robaulx Ordinum Ducatus Brabantiæ, & eiuſdem Vniuerſitati Agentem, ac Facultas Artium ipſius Vniuerſitatis, per eundem Carolum Procuratorem eorum, Ordinationi, Statuto, Abrogationi, Confirmationi, alijſque introſcriptis, & litterarum expeditioni conſenſerunt.

Eratque ſubſcriptum, pro ANTONIO MANFRONIO, HENRICVS FISEN, *cum ſigno.*

Et infra.

R.ª In Secretaria Breuium.

COllatione facta cum ſuo Originali inuenta eſt concordare præſens Copia, per me Gerardum Riuium, ſacris Apoſtolica & Imperiali, necnon Concilij Brabantiæ auctoritatibus Notarium iuratum.

PLACET. *Imprimatur. Datum hac 7. Ianuarij 1632.*

IO. A CHOKIER *Vicarius in Spiritualibus generalis Leod.*

Denuo Imprimatur

Fr. Ioannes Maria Caſtellus Lector ac ſocius S.P.A.M.

Digitized by Google

Digitized by Google